



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

41. An qui ad redimendum vexationem Electori dedit pretium, ne minus dignus eligatur ad beneficium sit Symoniacus, & incidat in poenas latas contra Simoniacos? Et an in hoc casu Symonia non sit de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

posse hinc fieri absque simonia. Sed salvo meliori iudicio, existimare non esse simoniam, si daretur aliquid non pro beneficio, quod datur per gratiam esse suum; sed ut vitaret expensis, quas deberet facere, ut defenderet jus suum: nam procurare per decem nummos, ne quis exponeret periculo perdendi centum nummos, quos in lite deberet expendere, nihil profectus habet malitiae; neque enim quod dat, est spirituale; neque etiam illud pro quo dat. Dare quidem aliquid, ut alter renunciaret iuri positivo, videtur esse simoniacum; quia ius illud est spirituale; dare vero aliquid ut non moveat litem ad prosequendum jus suum, & consequenter ad renunciandum iuri suo negativo, hoc est non prosequendum ipsum, non apparet simoniacum, quia illa negatio prosecutionis iuris non est spirituale. Idem dicendum si recipiat ab altero aliquid, ut ipse non prosequatur jus suum.

2. Sed quia, an idem dicendum de eo, qui habens possessionem beneficij vellet illud relinquere alteri præteritendo ob aliquod pretium ab illo receptum? Resolutio hujus casus videtur mihi difficilior, quam prioris, quia hic dando possessionem beneficij, videtur dare rem spirituale pro illo pretio. Respondetur tamen mihi videri, quod possit hoc facere absque simonia, quia cum non sit certum quod beneficium sit suum, sed propter probabilitatem tamen quam habet, quod sit suum, vel in litigando expensas facere, nullo modo apparet esse simoniacum, ut vitet illas expensas aliquid recipere, quia neque quod accipit est spirituale, neque illud pro quo accipit, hoc est, expensæ, quas faceret in litigio. Itaque si qui dat, non emit jus alterius, ut non debet, quia potest esse contentus jure suo, neque possessionem quod etiam non est necessarium ut faciat, quia sufficit quod alter permittat, ut ipsemet eam viro suo accipiat, aut ab eo, qui potest possessionem dare, sed solum det alteri aliquid ratione expensarum, quas faceret, ut probaret jus alterius non esse bonum, non apparet esse ulla simonia ex parte ipsius; similiter, si recipiens neque dat jus suum, quod alteri non est necessarium, cum habeat proprium, neque possessionem positivè, sed negativè tantum, permittendè, ut alter recipiat illam, sed solum recipiat aliquid ne faciat expensas defendendo possessionem suam, non committit ullam simoniam. Hucusque Pontius, quæ ex ejus mente dicta esse volo.

Sup. hoc sup.
ex Res. 29.
lege doct.
§. ult.

3. Quæritur idem ibidem *concl. 6. num. 33.* si quis fecerit expensas in beneficio litigioso, an possit eas exigere ab illo, cui, aut in cujus favorem resignat? Et respondet negativè cum communi, loquendo de exactione tanquam pretij, aut debiti; quia quod alter soluerit pro expensis, efficit aliquod pretium pro beneficio; possit tamen æquivalens recipere gratuite, de quo non est dubium. Ita ille.

R E S O L. XXXIX.

An si quis post collationem beneficij impediatur injustè accipere possessionem, possit pecunia redimere hanc vexationem?

Et an hoc sit simonia? Ex part. 5. tract. 14. & Misc. 2.
Ref. 3.

Sup. hoc in
Ref. seq. §.
ult.

§. 1. **A** Liqui probabiliter negativè respondent. Ita
glossa in c. decimas. 2. 17. quest. 7. Abbas in c.
ad aures, de finem. num. 6. & ibi Innocentius, Felinus
in c. dilectus. num. 3. cum aliis, quia possessio beneficij
quid spirituale est. Sed merito affirmativam sententiam
docet Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 30.
num. 1. §. quia tota spiritualitas possessionis beneficij

est ratione tituli, in quo talis habet jus ad rem acqui-
sitam per collationem. Et hanc sententiam docet ac-
Mosculus in *summa*, tract. 15, cap. 15, num. 5, ubi sic
asserit. [Si desuper que un Beneficiatus tunc collatione
juridica de suo beneficio, non le quiescent dar su posses-
sion, haziendole agratio contra iusticia y raxon,
no es simonia redimir esta vexacion, y alcançar la
possession de su beneficio con dineros.] Ita ille. Vide
omnino Raphaëlem de la Torre in 2.2. c. 22. *quasi*
100. ar. 4. diff. 9. validissimis rationibus affirmavi-
vam hanc sententiam confirmat. Vnde de hoc non est
dubitandum.

RESOL. XL.

*An si elector inclinet ad eligendum indignum, vel minus
dignum, possit dignior redimere locum.*

*Et an redimere supradictam vexationem sit simonia?
Et an in hoc casu simonia non sit de jure divino, sed hu-
mano?*

Et an facta collatione beneficij, si quis injuste impediatur accipere possessionem, possit pecunia redimere hanc vexationem? Ex p.4. tract.4. & Misc. Ref. 151.

§.1. **R**espondeo negativè, quia est simonia redimere pecunia vexationem, dum quis habet tantum jus ad rem, ut si quis injustè vexetur, ne detur sibi collatio beneficij, nam cum adhuc beneficium non sit suum, paratur pecunià via ad obtinendum beneficium; sed totum hoc accidit in caso nostro: ergo, &c.

2. Non definam tamen hic adnotare secundum opinionem Sanchez in *opusc.* tom. 1. lib. 2. cap. 5. *dub.* 30. num. 7. esse fatis probabile fimoniam in hoc cala non esse de jure divino, sed humano, unde per ea que dicit Sanchez dixerat ante in *dub.* 1. m. 9. §. 10. valere collatio dicit beneficii, nec alter teneatur restitueret. Hæc, ut dixi, procedunt in opinione Sanchez qui tamen fortasse loquitur de pretio dato alicui tertio, qui infert vexationem.

3. Notandum est etiam hic obiter, quod licet aliter
qui probabiliter asserant quoddam facta collatione benefi-
cij, si quis injuste impediatur accipere possessionem,
non potest pecunia hanc redimere vexatione, quia
possessio beneficii quod spiritualis est: a probabilis
est licere, quia tota spiritualitas possessionis est ra-
tione tituli, in quo habet jus in re acquiritum per
collationem. Ergo, &c. Ita Sanchez ubi *sup.* *de* 30.
numero 11.

R E S O L. XLI.

An qui ad redimendum vexationem Electori dedit pretium, ne minus dignus eligatur ad beneficium, sit simoniacus, & incidat in penas latas contra simoniacos?

niacos?
Et an in hoc casu simonia non sit de jure divino, sed hu-
mano? Ex p. 5. tr. 14. & Misc. 2. Ref. 1.

§. 1. **Q**uoad primum, affirmativè respondendum
est, & ita docet Molcosius in *sum. tract. 1. §. 1.*
cap. 15. num. 6. & Villalob. in *sum. 1. 2. tract. 17. diff. 2.*
num. 3. & alij. Sed difficultas est quoad secundum
punctum; nam Sanchez in *opusc. tom. 1. libro 2. cap. 3.*
dub. 30. num. 6. circa præsens dubium sic ait: Duobus
peritibus unum beneficium, & electore inclinante
suum voluntatem ad indignum, vel ad minus dignum,
esset simonia pretio redimere hanc vexationem, quia
tantum habet jus ad rem. Est tamen satis probabile
simoniam in hoc casu non esse de jure divino, sed
humano.

humano, & potest probari ex his, quæ diximus *suprà* dñb. 26. num. 9. Ita Sanchez, qui cum asserat satis probabile esse hanc simoniam esse de jure humano, quod etiam docet Layman in *Theolog. mor. lib. 5. tract. 10. capit. ult. §. 2. num. 22.* sequitur ex alia sententia probabili, quam ego ipse docui in 4. part. tract. 4. ref. 155. cum eodem Sanchez, & aliis, dictum simoniam non subjacere penis simoniæ, (unde talis non est excommunicatus, nec ipso jure beneficio privatus,) nec teneri fructus restituere. Etenim, ut dictum est simonia realis & completa, solo tamen jure Ecclesiastico vetita, non subjacet restitutioni, & penis simoniæ, quicquid in contrarium teneat cum aliis à me *ibi* *suprà* citatis, Paulus Layman in *Theolog. moral. lib. 5. tract. 10. capit. ult. §. 6. num. 66.* Lopez in *instr. Conf. part. 1. cap. 299. concl. 5.* & Sotus de *just. lib. 9. quest. 5. art. 2. ante respons. ad argumentum.* Sed simonia, de qua loquimur, secundum Sanchez, & Layman non est de jure divino sed humano. Ergo, &c. Non recitamus tamen Raphaellem de la Torre in 2. 2. tom. 2. quest. 100. art. 4. disp. 9. docere hanc simoniam esse de jure divino; sed sententia Sanchez est probabilis.

RESOL. XLIII.

An sit licita redemptio vexationis, si quis offerat pecuniam Electori, qui vult eligere indignum, vel minus dignum, nisi pecuniam à digniori accipiat?

Et an hoc sit aperta simonia?

Et aliqua alia explanatur sapienter contingentia in praxi in redimendis vexationibus ad beneficia, ad cathedras, &c.

Sed difficultas est in *supradicto* casu, an si meus adversarius, & g. obtulit judici, vel Electori pecuniam, quam ille accepit, utrum ego possim illam pecuniis allicere, ut mihi optuletur? Ex p. 5. tract. 7. Ref. 17.

§. 1. Negativam sententiam alibi docui cum Moscolo & Villalob, quibus nunc addo Lessium lib. 2. c. 35. n. 106. Suarez de Relig. lib. 4. de simon. c. 50. n. 28. & alios, quia, ut patet ex D. Thom. in 2. 2. quest. 100. art. 2. ad 5. hac ratione per pecuniam munitur via ad acquirendum aliquid spirituale, quod est aperte simonia, hoc etiam probatur ex cap. de hoc, cap. scilicet tuis, cap. Mattheus de simonia.

2. Sed contrariam sententiam respondens ad istos Canones docet novissime Hurtado de Mendoza in 2. 2. disp. 173. sect. 17. §. 234. usque ad §. 237. & ad rationem ex D. Thom. adductam respondet, in hoc casu non munitur viam directè ad spirituale acquirendum, sed præcisè ad constituendum judicem in animi æqualitate debita singulis, nempe ut velit illum eligere, quem iudicat non posse sine peccato præterire. Itaque cum oblatione pecuniæ remouetur affectus ille injustus conferendi beneficium indigno, vel minus digno. Me autem esse illum, qui sine peccato præteriri non potest, nihil obest, quia directè non intenditur, nisi ut amoveatur affectus injustus, quo remoto manet elector, ut oportet, ad eligendum justè.

3. Deinde quoties concurrunt duo mala licitum est consulere minus, vel significare ejus materiam juxta opiniones propositas, sed in offerenda pecunia pro collatione justa consulitur minus malum, aut significatur ejus materia. Ergo licitum est eam offerre. Tunc consili minus malum probo, quia minus malum est eligere dignum accepta pecunia, quam eligere indignum ea non accepta; quia electio indigni est contra multas virtutes. Primum contra justitiam distributivam, imò & commutativam. Item manet elector obnoxius ad restituenda omnia damna honoris & fructuum, quod

Tom. V.

quidem frequenter est contra charitatem propriam, quia propter ingentem difficultatem restituendi se conjungit in periculum evidens nunquam restituendi cum aperto discrimine salutis æternæ. Tertiò peccatur contra charitatem Ecclesiæ, cui petniciosissima est indigniorum electio, & quamvis peccaretur contra solam justitiam adhuc esset gravius peccatum non quod justitia sit melior, quam Religio sed quia magis obligat. Ex quibus aperte deducitur licitam esse hanc redemptionem vexationis injustæ. Quòd si nulla ratione potest redimi illa vexatio, nisi inclinando electorem, ut eligat Petrum, potest inclinari licitè oblata pecunia, quia tunc non emittitur jus, sed remouetur pravus affectus eligendi indignum: si autem plures sint eligibiles, sine peccato non possumus pecunia inclinare electorem ad Petrum, quia Petrus nullam patitur vexationem injustam. Et hæc omnia & multa alia docet Hurtado pro sua firmanda sententia. Vide etiam Basil. Pontium de matr. lib. 5. cap. 18. §. 6. num. 39. qui etiam n. 44. loquendo de electionibus ad cathedras, asserit quod si unus ex candidatis dignus est, & ceteri indigni, offerri pecunia potest, non tantum ne eligantur alij, & ne scholastici suffragium pro illis ferant, sed etiam directè offerri potest pecunia, ut eligatur ipse, qui dignus judicatur à vitis prudentibus, & literatis qui in iudicando non ducuntur amore, aut odio, sed ratione. Quòd si alius dignus etiam sit, non licet pecuniam scholasticis offerre. Idem dico si unus ex his dignior sit reliquis, qui non digniores, digni tamen sunt, posse offerre pecuniam, ut dignior eligatur omisso digno. Cujus doctrinæ ratio desumitur ex dictis, est enim gravius peccatum eligere indignum prætermisso digno, vel eligere dignum omisso digniore, quam furtum committere, quod perpetratur in ea acceptione pecuniæ, ut constat. Unde licet offerre materiam minoris peccati, hoc tamen intelligendum si scholasticus paratus sit majus peccatum committere, scilicet eligere indignum omisso digno, vel dignum omisso digniore. Quòd si duo reperiantur æque digni, quia vel re ipsa sunt, vel difficile de eorum excessu judicari potest, non licet tunc offerre pecuniam scholasticis, cum non offeratur materia minoris peccati, siquidem illi in cujusque ex illis electione, justè agunt, solum excipe casum, si scholasticus prius non incitatus, sed sua sponte pecuniam postulaverit, aut indicaverit, licet enim dare in eo eventu. Ita Pontius *ibi* *suprà*.

4. Sed difficultas est in dicto casu, an si meus, v. g. adversarius obtulit judici, aut electori pecuniam, quam ille accepit, utrum ego possim illam pecuniis allicere, ut mihi optuletur? Quæstio est difficilis, nova, & in praxi maximè necessaria, & ad illam respondet Hurtado loco citato §. 243. Dico igitur primò, esse opus ut mihi constet satis aperte electorem, aut judicem accepisse pecuniam, alioquin non possum ego eam offerre licitè. Secundò dico, non videri improbabile eam pecuniam offerre, quia quod ego peto, potest fieri bonè & malè; quod si malè sit, est illius culpa, quam ego vitare non teneor cum gravi damno; est autem grave damnum ut iudex, aut elector sit pecuniis à competitoribus devinctus. Neque tunc ego sum occasio peccati, quia iam ille est formaliter in peccato. Absolutè tamen censco non licere offerre pecuniam, quia ego non vexor iniuste, iudex enim & elector possunt antecederet esse determinati ad ferendam sententiam pro competitore sine ulla iniustitia. Quid autem interest illos esse determinatos pecuniis potius, quam alia de causa? Potero tamen ego indicare meum animum, & ostendere me esse paratum ad dandas pecunias, si iudex, aut elector eas voluerit, hæc enim non est provocatio, neque consilium. At verò mihi non licet eas dare aut amittere. Ita Hurtado.